

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM

DE

HUMANIANIMI AFFECTIBUS,

& speciatim

DE INTERIORI RERUM PERCEPTIONE
ILLORUMQUE SEDE.

ex legibus instituti

Sereniss. Principis FRIDERICI
habendam

PRÆSIDE

G. C. SCHELHAMMERO D.

Ser. Duc. Schleswico Holst. Archiatro, Med. Profess. Pri-
mario, h.t. Ordinis sui Decano & Collegii Chirurgorum Præside
& rel.

Die Octobris MDCCX.


publice tuebitur

JOH. VALENTINUS BÜTZER.

Kiloniensis, Med. Cultor.

K I L O N I ,

Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.



CAP. V.
DE
ANIMÆ CUM CORPORE NEXU ET
DE INTERCEDENTE VIN-
CULO.

1. Recentium dubitatio. 2. An locum habeat 3. q. Nec mentis es-
sentiam cogitatione, 5. nec corporis extensione absolv. 6.
et, si id esset, vinculo tamen non esse opus. 7. nec anima
tam arcta cum corpore conjunctione. 8. Spiritus corporibus
inhærere posse sine vinculo, experientia ostendit, 9. & 10.
Alia dubitatio: 11, solutio.

§. I.



On in cerebro, sed in ipsis organis
primam externarum rerum percep-
tionem ab anima cum cerebrali
fluido eo effusa fieri, modo osten-
sum est: satis idoneis quidem,
nisi fallor argumentis, sed qui-
bus tamen ne fides sit, nonnulla prohibere viden-
tur, haut levia quibusdam visa, qui recentia dog-
mata sequuntur. Ex quibus præcipuum est, quod
animam, cum sit spiritus, quomodo cum corpore,
in unum coire, arctissimeque conjungi possit, si
non aliud novum vinculum intercedat, etsi id fieri
quasi oculis cernant, intelligere tamen se non pos-
se, conquerantur. Cui alterum accedit; Ut in
organâ illa cum his influat, vel ejus partem ali-
G quam

quam transfundi oportere, cum in cerebro sedem habeat, vel nudam ex se qualitatem, sine materia: quorum alterum fieri non possit, cum sit individua, foret enim extensa, adeoque corpus; alterum absonum sit, postquam nudæ qualitates dudum communis consensu philosophantium sint rejectæ.

II. Hæc ut diluamus, danda est opera. Quod ergo ad primum attinet, fateor equidem, me non esse tam perspicacem, ut quid tantopere hic sollicitos habeat doctissimos viros de vinculo mentis cum corpore, satis perspiciam. Neque enim tam grandem esse naturæ utriusque differentiam deprehendimus, ut a se abhorreant, neque, si sit, tam arcte atque intime inter se misceri, videtur esse opus; imo ne quidem tam exacte cognita est nobis hæc eorum natura, ut inde inferre satis tuto liceat tam grande paradoxon. Quod enim ajunt, mentem esse ens cogitans, corpus autem extensum, & illius in cogitatione, hujus in extensione rationem unice terminari, compleisque arbitrantur, non modo incertum est, sed utrumque magnas dubitationes habet. Nam cogitandi facultate animam gaudere, facile quidem patet, ea autem omnem ejus absolvit essentiam, minime concedi potest. Etenim quod supponunt, praeter ens cogitans & materiam nihil existere, sine causa id faciunt: nam spiritus omnes mera esse cogititia, praetereaque nihil, in tanta de iis ignorantia, affirmandum haut erat, cum nihil eorum sensibus sit manifestum, praeter effectus: quorum tamen conexio-

nexionem cum sua causa æque ignoramus ac eos ipsos. Quid ergo superest ex quo eorum essentia nobis omnis innotesceret? Imo apparebat ex his luculenter, non alia causa inducitos, hoc prodidisse, quam quia mentem nostram cogitare percipiebant, neque ejus quicquam præter hoc unum inventire aut percipere poterant, hanc autem spiritum esse, cognoscebant: ergo & reliquos spiritus esse entia cōgitantia, inde arbitrabantur. Quæ sane argumentio est logicis inter fallacissimas reposita, quam vocant a particulari ad universale.

III. Sed etiam in eo decipiuntur, quod hujus nostræ mentis naturam sola cogitatione absolvit opinantur: Ineptum sane est, substantiæ cujusvis essentiam in actione quadam ponere: quod si recte fit, ubi ab ea actione cessat, esse definet. At ajunt, animam semper cogitare! Falso vero id produnt; nam infantes antequam edantur in lucem, in utero matris non cogitant, sed, ut recte olim creditum, vivunt vitam plantæ; nec inde egressi, prius cogitare incipiunt, quam per sensus idearum idoneam receperint copiam, (nam innatas, a summo seculi Philosopho, Joh. Lockio abunde confutatas, nihil L. De Intell. amplius moramur) idque non statim, sed post 1, 1. seq. annos demum fieri constat, nec uno momento, sed successivis temporibus, quasi excoli, perinde ac alias potentias naturales quas vocant Philosophi; etiam corporis. Sic incessus quadrupedibus, quidem & alitibus, & insectis, simul a lucem adspiciunt, datus est homini autem post demum

acquiritur ea facultas, magisque ex artis regulis, ubi firmitudo lacertorum accessit, excollitur per artem saltandi. Ita &, post plurimos demum annos, quo idearum talium numerus magis magisq; increscit, eo perfectius meliusque cogitamus. Nec dormientibus nobis anima cogitat, profundiore præser-tim somno sopitis, quod dum Cartesius fieri dixit, nullam in eo invenit fidem: neque enim argumen-to ullo id ostendit, & experientiam sibi habet aduersam. Fecit autem non alia causa, quam quia putavit ejus essentiam in cogitatione constitui, adeoque ex præjudicio, quæ comprobandi ratio nil nisi petitio est ejus quod in principio dubitaba-tur, recurrente in circulum eadem quæstione.

*Cultura
Phil. mor.
c III, §.
19, 20.*

IV. Nolo iam illud urgere, quod alibi a nobis ostensum est satis: sine spirituum ope ne cogitare quidem animam posse, quod argumentum est in-concussum, & quam clarissime itidem ostendit, non cogitationem sed potentiam, seu facultatem cogitandi esse in mente sive anima: at vero ejus totam essentiam ea constitui, penitusq; absoluvi, nondum apparet, non magis quā facultate sentiendi, aut per-cipiendi, quæ itidem sunt animæ, & quas ad cogita-tionem frustra refert Cartesius: cum ne vo-luntatem quidem eo pertinere, *acutissimus boder-norum Philosophus, Christianus Thomasius* non sine causa arbitretur:

V. Neque de Corpore, (quod erat alterum) magis certum est, in sola extensione essentiam e-jus poni. Apparet sane etiam grave esse, (ipso ni-fallor,

fallor, æthere non excepto) & circumscriptum & impenetrabile, (quod soliditati debetur, non extensi-
oni, ut illis visum est:) quæ omnia non minus ad ejus essentiam pertinent atque extensio, neque ex ea deduci aut derivari recte queunt. Ex altera vero parte etiam spirit⁹, etsi certo spatio quodam inclusi non sint, terminos tamen suos agnoscere, adeoque suo modo extensos esse, nisi immensos, Deosque omnes esse putemus, concendendum erit. Tantum *Angelos*
ergo abest extensionem implere terminareve na- *etiam esse*
turam corporis, ut potius nec sola proprietas es- *extensos*
sentialis ejus sit existimanda, nec solius, *afferuit*
quoque Ho-
noratus Fa-
bri, Tr. I.

VI. Verum hoc ulterius prosequi, ad alias perquisitiones pertinet: nobis sufficere nunc potest, ea adduxisse in medium, quæ ex essentia *I. I. 8. Me-*
mentis corporisque ductum argumentum invali- *taph.*
dum ostendant esse. Sed valeat! sint quod ipsis putantur, anima ens cogitans; corpus extensem:
nondum tamen apparet, quid vinculo opus sit, ut illa corpus subeat, & cum eo unita perstet. Non enim omnia quorum natura diversa est, conju-
ctionem omnem respuunt, sed pugnantia tantum,
& quæ se invicem pellunt, quod de spiritu corpo-
reve dici non potest, quæ etsi sub uno genere ma-
xime distent, non tamen contraria sunt, & adversa
fronte pugnant, adeoque renuunt coire, sed ad ea
pertinent, quæ disparata dialecticis nuncupantur,
qualia uniri, nihil repugnat.

VII. Sed nec opus est animam nostram cor-
pori tam intime misceri, ut cum eo penitus in u-

num coalescat, sed ita existimandum est, (atq; id sufficit) potius eam corpus ut domicilium suum subire, quod cum sit mobile, & in omnes partes flecti volvi queidoneum, regere illud, & ejus membris, tanquam organis mechanicis uti licet, solo attactu, ut artifices suis utuntur. Ecquis enim artificum, aut operariorum cum instrumentis tam arte conjungitur, ut ligaculis aut vinculis ad id habeat opus? A quibus sane illa non alio differt, quam quod intus agat, dnm illi externi se applicant labori atque operi. Quod si tamen quis obstinate adeo interveniens aliud postulet, & quasi interpretem requirat, mandata ejus deferentem, vicissimve nunciantem, quid hospitio ξοθεν obtingat, vel si magis congruum videatur, quo machinam suam, ut immissæ molendinam aquæ aut ventus, agitet, ecquid his omnibus magis idoneum reperiri queat, quam rapidissimum, & supra modum mobile hoc fluidum, ac subtile, ut sensus æque ac spiritus aliquis, fugiat & eludat? quid omnium corporum proprius ab ea abesse deprehenditur quam hoc? quod tale sane est, ut de utriusque natura videri possit aliquid participare.

VIII. Sed spiritus corpori sine vinculo alio inhaerere posse, etiam experientia persuadet: cum maligni mortalium corpora ingredi, subire, & agitare, (vivos duntaxat, ne huc arcessam nunc & cadavera) fide dignæ testentur omnis ævi memorie. (Quod enim hodierni nostri magni dubitatores id ineptissima incredulitate negant, frustra sane

fane & temerario ausu & hoc faciunt, quando tot seculorum non minus quam sacrarum paginarum testimonia luculenta, indubitata, innumera, sine causa idonea rejiciunt.) qui tum, oppressa tanti-sper anima, & quasi sub vinculis detenta, eorum membra, linguam præsertim, quo usque Divina permittrit voluntas, in quoscumque agunt motus; non alio quam eodem hujus cerebralis fluidi ministerio utentes. Legat qui volet, recentem illum pueri Femerensis obseSSI historiam, quam celeberrimus noster Theologus, vir sanctissimus, & prudentissimus, *Christianus Kort bolt a u topyns* testis, & omni exceptione major, peculiari libello comprehensam olim edidit, & nisi convictus discedat, sciat se esse præjudiciis penitus excœcatum.

IX. Poterant itaque huic tam gravi, ut quidem iis videbatur, disquisitioni antistites novæ philosophiæ supersedere, & venerari potius summi Rectoris inenarrabilem sapientiam, qui tam concinne hæc jambō construxit, copulavit, unumq; adeo alteri subordinavit: & cum decretum ipsi esset, immortalem animam luridum brutumque corpus hoc subituram, & præ cæteris animantibus ornaturam, non sine ministerio eam reliquit, sed corporeos hos spiritus diæto obedientes addidit, quos animales, quia animalibus proprii, medici postea nuncupaverunt.

X. Ita expedito jam priori qui injiciebatur scrupulo, ad alterum transeundum est, &, quo pacto in cerebro residens, vel semet vel virtutem illam

illam suam movendi, sentiendique per totum corporis ambitum beneficio horum diffundere possit, dicendum est. Quod non multum sollicitos nos habebit: tametsi enim in tanta rerum caligine, & naturæ ejus ignoratione, certi quid & indubitati afferre in medium non licet, nostro tamen asserto ejusque certitudini, nihil inde decadere, ostendi patet, quamcunq; etiam ex utraq; parte eligas sententiam, perinde itaq; nobis erit: At enim nudas sine corpore qualitates somnia esse, hodie tritum est! Esto in aliis! & quoties corpus a corpore movendum est, nonnisi atta&tu id fieri, non sola qualitate, longe certissimum. At de ipso hoc motu si cogitemus, quidnam est illa movendi potestas, quæ ex primo corpore in secundum, ex hoc in tertium influit, impetus nomine veniens, pulsuque translata? An & hæc corporea est? minime arbitror: tamen diffundi per infinita fere corpora non renuit. Si ergo corpora suam movendi potestatem, quæ tamen ipsis propria non est, sed indita tantum, aliis quæ tangunt, corporibus communicare, & in ea transfundere possunt, quidni anima facilius multo id posset, cui insita & naturalis cognoscendi movendique vis est, cum illa præsertim corporibus omnibus haut dubie sit potentior, fluido adeo tenui adeoque ad motum prompto circumflua?

XI. Alteram amplecteris sententiam, corpori universo ipsam infundi? neque id repugnat: enim & ejus rei in promptu exempla sunt, a nostro hoc

hoc non admodum abludentia. Ut scilicet solis particulæ igneæ, per immane, qua patet spatum cœli, beneficio ætheris in momento se diffundunt, radiorum formam, nomenque sumentes, nec tantum errantium stellarum opaca corpora illustrant, sed & per ipsas aliorum solidorum partes penetrant, & occultissimas pervadunt vias: sic animæ nostri corporis meatus laxos sane atque pervios satis, spirituum ope; nisi quod solem, ut corpus, instauratione opus habere, suspicio sit, ad eumque, tanquam ad igneum mare, effusas undique ignis particulas redire, ut aqueæ omnium rivorum, omnisque humidi, vaporisque ad Oceani, quo perennare possit, perpetuo remeare videmus. Seu levitate id fiat, comprimentibus graviorioribus atque urgentibus, sive centripeta quadam vi, hodiernis Mathematicis celebrata, & a Clarissimis viris, Hugenio, Neutono, & Gregorio potissimum nuperrime constabilita.

CAP. VI.

DE

INTERIORE ANIMÆ PERCEPTIONE, ET AFFECTUUM PRIMA ORIGINE.

1. *Transitio.*
2. *Quomodo post sensualem perceptionem ad intimiora cerebri ferantur rerum ideaæ.*
3. *Ubi nova fit rerum di-
judicatio; affectuum origo ex voluptatis aut doloris sensu.*

H

4. *S*

4. Et Amoris atque odii ratio. 5. Ubi fiant in cerebro affectus
 6. An in anima rationali generentur. 7. Non sunt homini-
 bus proprii, 8 sed Et brutis competit: quod exemplis ostenditur.
 9. Qui quibus sint familiariores. 10. Alter sentientium
 erroris causa Et refutatio 11. etiam rationibus. 12. Diffe-
 rentia affectuum in hominibus Et brutis. 13. Non ergo affectus
 ad animam immortalem pertinere. 14. in voluntate non esse,
 evincitur, 15. alia ratio. 16. Non esse meras passiones.
 17. Non esse animæ rationalis, novis argumentis docetur. 18.
 Et etiam olim sic opinatum fuisse. 19. 20. 21. Rationali tamen
 animæ quoque suos esse affectus.

I.

SEd satis de his, nonnihil a proposito quidem alienis, necessariis tamen, ad historiam affectuum omnem plane pleneque percipiendam. Neque enim præeundi sat est, monstrasse tramitem: removenda etiam impedimenta, saxa & lapides, quibus impingere, & labasci possint euntes; hinc proximi capit is intercalatio: nunc ad nostra redeamus.

I. Postquam igitur vel radii lucis visendo-
 rum species, vel radii sonori collisorum corporum
 sonos, velaer effluvia & odoratas, vel saliva sapidas
 particulas ad extremas nervorum fibrillas detu-
 lerunt, vel ipsa corpora propius nobis admota,
 superficiem nostri tetigere, animati spiritus, illic
 velut in excubiis dispositi, illico percussi, ex ipsa
 tactus ratione oblati corporis conditionem in orga-
 no sensorio percipiunt, idque est quod sensus vo-
 catur: quo admonita animalia, vel appetunt, quod
vitæ

vitæ conservandæ idoneum esse percepere, vel ab eo quod perniciem possit afferre, celeriter refugiunt. Nondum vero in hāc sensuum custodia acquievit naturæ benignitas, sed simplici illa perceptione facta, rerum perceptarum species ultius per nerveos canales ad ipsum cerebrum illico curavit perferri. Ubianima, ipsa illa quæ in organa sensuum virtutis suæ partem prius dimiserat, eam jam propius intuens atque cognoscens, ulterius dijudicat. Sunt enim nervi spirituum ex sanguine indesinenter separatorum & jugiter influentium animatorum semper pleni, qui, non meantes & remeantes, ut forte quibusdam vide ri posset, sed mutuo contactu, ut solent impulsa fluida subtilissima ex sensuum organis ad intimiora τας ἐγελεφαλας perceptæ rei ideam nichil oculi citius propagant: ea sorte, qua lux subtilis materia interjectu incredibili celeritate per immensum spatum propagatur diffunditurve, omnia illustrans ac penetrans. Quod eodem modo fieri, quo sonus per aerem, per aquam projecti lapidis ictus penetrat ad extremum usque terminum, vel quo usque permittit reactio ponderosi fluidique corporis, undulante scilicet propulsu, his exemplis crassioribus discitur. Vnde etiam contingit, ut nervis vinculo constrictis, aut incumbente onere pressis, aut, ut in gutta serena, obsefisis humore, evanescant protenus omnes spiritus, etiam illi qui ultra locum interceptionis jam erant admissi:

H e per-

perinde ac radiis solaribus per fenestrellam in cameram obscuram ingressis accidit, ubi objecto umbraculo, Cimmeriae prorsus tenebræ oriuntur, dispensarentibus etiam illis, qui jam intus erant recepti. Quod cum non satis expenderent primi Philosophiæ emendatores, in errorem inciderunt, ut fibrillarum nervearum tremori hanc ad cerebrum delationem deberi existimarent: quam sententiam nos ante confutavimus.

III. Huc ergo delatorum nova fit, atque accuratior paulo, non sensualium amplius qualitatum, sed quæ propius ad essentiam accedat; non rerum duntaxat, sed etiam actionum quarumcunque a corporibus animatis forte editarum dijudicatio: Qua cognitione propius, & veriore vel jucunditate perfunditur animus, tentaturq; illecebris, vel molestia afficitur: & hinc demum omnium affectuum origo est. Ut enim sensus, quæ corpori vel conservando apta, vel destruendo idonea atque nociva sunt, admonent: sic eorum quæ animam amplius tangere possent, eique nocere aut prodesse, hic porro ab ea, cum ipsi propius admota offeruntur, sit existimatio; nondum quidem ratione in consilium adhibita, sed levī modo, & quodam interno sensu. Est enim ad hoc instructa insita quadam vi, qua vitæ corporisque custodi noscere a natura datum est, quid illi conveniat, aut adverseatur, illinc enim suavitas, hinc vero molestia ista quam percipit & quæ aut ad res objectas persequendas aut fugendas invitat, gignitur. Quemad-

admodum enim vel inanimata etiam, ita a natura comparata sunt, ut similia appetant, coalescant unianturve cum illis etiam citra cognitionis facultatem, quæ vero diversæ naturæ sunt misceri repudiant, cujus rei vel Chemicæ præparationes luculentæ sunt testes: sic & animatarum quæ congruunt inter se (quod sermone, actionibus gestibus produnt) prout cuiusvis est animus, ita affectus varii, & versus oblata vel propensio vel aversio contingit aliudve atque aliud eorum genus e nascitur.

IV. Hinc amicitiæ atque odii semina, ut animi morum similitudine & occulto quodam, tacitoque vel consensu copulentur, vel dissidio se abhorreant: hinc mutuus virtutem colentium amor, quem, ubi accessit ulterior ipsius rationis, doctrina morali exultæ pondus, rationalem vocare nostratum quibusdam visum est: unicum vitæ solatium & condimentum, quo nihil jucundius, nihil suavius obtingere potest, licet tantum tamque optatum bonum perversitate humani ingenii paucis quos æquus amavit Jupiter, obtingat, ut ex omni antiquitate vix aliorum quam Piladis & Orestis, Achillis & Diomedis, amores mutui, nostratum vero rarissimorum etiam exempla memorentur. Sed & improbitatis vincula quibus scelestes animæ coeunt, ut in Tarquinio superbo & Tullia, fratris uxore cernimus factum, non aliunde arcessere æquum est. Quamvis amicitia & inimicitia, si diligentius rem expendas, ad affectus

H 3

non

*Livius His.
Lib. I.*

non pertineant, sed eorum potius ordinem et longinquum consequantur, cum non sine prævia deliberatione & mora in homine exoriantur, quæ in affectibus locum non invenit.

V. Quod si quis jam ulterius me urgeat, atque a me postulet, ut locum indicem, quo in cerebro perceptio hæc fiat, etiam hoc licere existimaverim; neque dubitandum esse, in parte illa, quæ medulla oblongata hodiernis dicitur, vel huic proximis, corpora striata dico, thalamos nervorum opticorum, centrum ovale, & alios tractus medullares id fieri, ibique esse veram functionum animi officinam. Hic enim est locus per quem spirituum animalium ampla dissipandi, sequent quam in aula sua jactandi via ac spatium est. Documento etiam est, quod dicta medulla oblongata in intima cerebri parte collocata reperitur, ex ea que omnes cerebrales nervi, imo & ipsa medullæ dorsalis præcipua pars vel primam capiunt originem, vel in illam terminantur.

VI. His ita expeditis, & etiam in quo generentur affectus, reperto, ulterius inquirendum est qua potissimum ratione fluctus illi excitentur, & quo proxime pertineant. An ipsa rationalis quæ vocatur anima ab iis affiliatur, an vero animales spiritus tumultuentur potius, aut ignobilior aliqua illius vel pars vel facultas, quæ sub æterno illo spiritu inferiore quidem, sed suam tamen propriamque potestatem exerceat? Cerebrum enim quod præter ista unum supereft, cum sit pars solida, immobilis

mobilis, iners, nec nisi spirituum colatorium vel officina, nemo doctior motuum horum causam existimabit.

VII. Hoc autem dubio nos exsolvemus, si naturæ universæ rationem potius, quam quid nobis solis contingat, expendamus, eamque totam in consilium admittamus. Ea enim protenus nos commonefaciet, non homines tantum affectibus esse obnoxios, sed universum animalium gregem, quotquot eorum sensum habent. Quod paradoxum quia nostris sapientibus insolens atque absolum videri posset, primum exemplis evidenteribus extra dubitationem ponemus, tum rationibus obfirmabimus, postremo causis, quibus ut aliter sentirent, sint permoti, expensis, erroris occasio indicabitur.

VIII. Quid ego audio. Ergone & brutis affectus concedis? quæ tanquam automata ple- rique omnes ab his exclusere? Concedo enim ve- ro, neque adversus experientiam in aciem prodi- re sustineo, rationibus vel maxime probabilibus & auctoritatibus omnibus potiorem. Ecquis e- nim, quod cernimus oculis, manibusque palpa- mus, ut negem, a me ausit exigere? ostendam. I- gitur postulas? in promptu & aperto sunt omnia. Equi, quicquid contra ex præjudiciis tuis dilutes, alii quidem abjecti sunt, humiles, fracti, & serviles, alii lelati, superbi, fervidi, indomiti. Canum aliud genus ferox iratum, obvios quosvis allatrans, af- filiens, lædens; aliud blandum, amabile, & ad affen- tationes compositum. Porro quanto ex aliquandiu
absen-

absentis domini conspectu efferuntur gaudio! quod voce, gestibus caudæ motitatione, discursu testantur: tristitia vero quanta corripi visi sunt? reperti sane, qui defuncto domino, repudiato omni cibo, sepulchro ejus prope immortui sint; novimus, ipsi, qui per triduum sub ejus capulo sine cibo & potu tristis decubuit, abductus tandem a defuncti propinquis, servatus quidem, sed omnis lætitiae expers, tristes duxit dies. Novimus martem, in domo illustri cicurem, varieque cum liberis domini ludentem, ab alio furto abductam & catena vinclam, ita ex libertatis amissione & assueti confortii privatione furentem, ut nemo auderet accedere, spredoque omni alimento, seipsam fame enecasse. Galli pugnaces aliqui e confictu non recedunt, quin cadant exanimes, aut vincant; qui Angliae singulare præbent spectaculum: etiam in Gallinas suas singulari affectu, omni studio eas alunt, protegunt, de periculo admonent, ad cibum evocant, invitant. Amore autem mutuo bruta in se exardescere anser, vile & stupidum animal habitum, me docuit. Is ex toto grege unam elegerat, quam tanquam uxorem præter ceteras diligebat, & egregie charam habebat: illam sectabatur unice, & assidue comitabatur, spretis reliquis, quas habebat adjunctas binas alias: cum pabulum frumentumque præberetur, rostro petens, arcebatur atque abigebat, donec satura esset adamata illa, & talia multa faciebat: Sed quod multo est majus, absentis desiderio tenebatur, eamque

que recte abductam, se infcio, per ignotum iter prosequebatur in urbem, & solus per plateas incedens, domicilium petebat in quod erat delata: reperta ibi, accurrebat, multoque strepitu, quasi verborum sui generis sermone, gaudium suum significabat: tandem in pastu amissam infortunio, & ipse secutus altera die, nunquam postea comparuit. Novimus etiam Capreolum silvestrem, in domo magni cuiusdam viri educatum, qui binas habebat filias, quarum unam capreolus valde diligebat, alteram minorem natu, cum aliquando ei ignominiosam intulisset injuriam, ferre non poterat, sed odio habebat, & quoties licebat, exercebat vindictam: quem in finem, in horto ædibus vicino solebat se occultare, & cum solam ingredi videbat, ex insidiis erumpere, a tergo eam, facto impetu, prosternere, & nisi esset qui abigeret, conculcare pedibus: tantæ animis tam vilibus iræ! hæc si non affectuum certa & indubitata sunt signa, certe nulla sunt. Hæc vero omnia ipsimet comperta habemus, & bona asserimus fide.

IX. Ceterum, ut hominibus non omnes affectus sunt omnibus, sed certis generibus, imo nationibus, alii atque alii, quo magis propendent, sic etiam brutorum familiis sui; vix tamen repries ullum, cui non aliqua eorum obnoxia sint. *Amori & benevolentiae* æque ac odio plura indulgent, de quibus exempla attulimus. *Impatentia* equus agitatur, dum quatit ungula campum, frenaque mordet: *Audaces* sunt feræ quam plurimæ:

meticulosi lepores, cervi, damæ, aviculæ: *misericordiam & desiderium* produnt socialia, & ex iis maxime omnium gallina indica, magnoque clamore testatur: *lætitiae, tristitiae eorum* exempla quotidiana sunt: *invidia* canes laborant, *Zelotypia* Galli, & aves forte etiā aliae: *angor* est illorum, quæ se morti destinari sentiunt nonnullis. Quod in canibus experiuntur anatomes cultores, si quando ruptis laqueis libertatem recuperant: scio quendam, qui, cum molossum cultro destinatum non satis arcte ligasset, illeque se expediret vinculis, in maximum venit periculum, ut ei cum ipso stricto gladio de vita esset dimidandum, eumq; dilacerasset, nisi victor, magno illum & felici iectu prostravisset. Sed hoc affectu atque ex eo nascente indignatione vel unusquisque perexiguus vermiculus tangitur: qua de re dubium esse non potest. Quæ omnia negare velle, esset cæcutire lubentem plena meridie; concedere, & tamen affectus animalibus abnegare, audacis & obstinati animi indicium.

X. Quid igitur, inquis, in mentem venit doctissimis viris, ut bruta affectibus carere, asseverarent? Primum illud, quod novissimæ Philosophiæ placitis subscriptentes, automata existimarent, principio interno vacua, omnisque cognitionis ac sensus exsortia. Dein, quod affectus in ipsa mente, animaque ratione utente collocarent, quorum prius nuper falsitatis convicimus, posteriorius autem haut minus vanum esse, & hæc exempla aperte docent, & ipsa ratio plenius persuadet. Nam & cerebrum habent eadem prorsus

fabrica qua nostrum est , & sensus organa in quibusdam quidem ab his diversa, sed quæ cuiquam in suo genere sufficient. Quibus sic se habentibus, cum tot ac tanta in speciem duntaxat & ostentationem fabricasse naturæ autorem sapientissimum, credi non possit , porro hinc colligere est , cui cognitio rerum est data , illi etiam affectus esse concessos ; quippe quos e cognitione illa continuo provenire necessum est: vix enim percipi quicquam potest quod non voluptatem & approbationem, indeque cupiditatem generet, vel injucundum sit atque odiosum : quæ , si paulo fortius se animo imprimant , evitari non potest , quin is moueatur , quod principium est affectuum primum atque origo: & hoc quidem omnibus manifestum est.

XI. Sed forte ulterius progreedi licet, & etiam hoc addere , illis potissimum expendendum, qui in voluntate , non , ut Cartesius , in intellectu affectus collocant. Si bruta (quod tamen non æque de omnibus valere facile largior) aliquid habent facultatis ratiocinandi, aliquid etiam habebunt voluntatis: nam eodem utrumque ex fonte oritur: At aliquid illius facultatis iis largitum, & ea etiam συλλογιζειν, licet imperfecte, majore scil. propositione omissa , alibi demonstratur. Erit ergo ipsis concedenda etiam voluntatis particulæ, etsi non eo nomine utamur , sed spontaneum appellemus. Porro qui deliberat plenarie, expensis omnibus, plenam habere voluntatem intelligitur : qui non

Vide Hor.
neum Mor.
Phil. c. 4.

deliberat quidem plenarie, sed tamen de præsen-
ti, aut proxime instanti malo cogitat, & ex eo co-
ercet appetitum, atque abstinet, non habet nisi
eius speciem aliquam, aliquid tamen : etenim li-
bertas illa eligendi, species voluntatis est. Hoc
ideo dixi quod videmus canes, vetante domino &
abeunte, cibos etiam sapidissimos, & ex recenti
adhuc coctura fumantes, odoreque (quo illi pollent
maxime) invitantes, non tamen modo non attin-
gere eos, sed ab aliorum insultu custodire insuper.
Paulo minus ergo animalibus brutis tribuit il-

Exerc. *lustris Scaliger aliique quam par est, ubi inquit: Non
cccvi. sect. velle dicuntur, sed instigari bruta, & in-
W. stinctus dicitur a natura, sicut a Diis afflatus. At nos
sane in his quæ nostram conditionem ac dignita-
tem inuoluunt, non satis idonei sumus judices: id-
eo quod haut raro magnificentius plerumq; sentire
consueuimus & plus nobis tribuere quam par est,
nobis met ipsis assentantes.*

XII. In eo vero etiam differentia est, quod in
universum & pluribus & majoribus affectibus ob-
noxium est hominum genus; bruta non nisi uni
& alteri fere, reliquis non æque; sic metu præ ce-
teris, ut jam monuimus, corripiuntur Lepores,
cervi, damæ, capreoli, volucres, & quicquid imbe-
cille, resistere insidianium dolis aut robori nequit.
Aviculæ hinc, conspecto vulture, omnes dispa-
rent, & inter densos arborum ramos delitescentes
absconduntur: nec cantare prius Philomela cona-
tur, quam sub recentibus arborum & fruticum foliis

coccigis inimici sui raptum possit effugere. Contra hæc vero: leo quem timet? & ex avibus aquila, quid reformidat præter hominem? huic autem contra feroceſ ſunt, & iracundiæ indomitæ; aquila præſertim, quam captam vinclamque, vel ad conſpectum hominum excanduiſſe vidimus, & emori maluifſe, quam ab iſpis projectum cibum ſumere. De reliquis, quibus præcipue agitantur, ſuperius diximus: redeamus ad homines. qui cur pluribus, & majoribus expoſiti ſint quam bruta, non arduum eſt dicere: quia nimirum ſpiritus animales perfectiores & cognoscendi omnia accutius potestatē naecti ſunt; quod ex ſequentiibus, ubi de cauſis agemus, magis erit perſpicuum.

XIII. His, ut opinor, ſatis evictis, nihil ſuper- eſt cauſæ, cur putemus, ad animam supremam quæ rationalis appellatur, affectus attinere, quippe qua bruta carere, omnium confenuſ ſtabilitum eſt, cum oſtentum ſit, etiam viliora eorum genera illis exagitari; aut concedendum erit, non eſſentia, ſed gradu diſferre hanc noſtrā ab illorum anima: quod, qui immortalē eſſe, & in meliorem vitam durabilem, ſacrifice docti literis, confidunt, ut omnes decet qui Christo nomen dedere; imo qui homines ſe eſſe ſentiunt, nunquam admittent. Idem & alio argumento diſcitur: ſi enim & eam conturbant partem quæ ratione utitur, qui fit ut omnia ita miſceant & rationes ejus confundant, ut propria ma- xime & in qua tota ejus natura ponitur, facultate uti non poſſit? Nihil enim profecto eſt, quod ſe-

ipsum perturbet, destruat, aut in agendo impedit, quo minus quod vult & potest, perficiat.

XIV. Sed forte ex his difficultatibus se facilius expedient, qui ratiocinandi facultate relictâ, in alteram ejus partem, Voluntatem transferunte eorum sedem. De quibus etsi fatendum sit, proprius eos accedere ad scopum, non tamen ne in hoc quidem assensorem iis me præbere possum, experientia reclamante: sæpe enim motus animi surgunt nobis invitis, quod fieri non posset, si in voluntate essent: & hoc movit etiam Aristotelem, ut animæ illos abjudicaret: dignū qui hic legatur. Quoties autem agnoscimus non tantum peccata, sed etiam pericula, quæ in his sunt, & ab iis mente refugimus? cogimur tamen affectibus, & inviti trahimur in perniciem, veluti torrente, aut maris fluctibus in altum abrepti, quibus resistere non licet, fatente ipso Ethnicorum Apostolo, *non quod velit, bonum, sed quod nolit, malum se facere*: id quod non nisi de affectibus accipi potest, quibus, invita etiam voluntate, cogatur. Quod dudum etiam docuerat idem Aristoteles: *νυκτα δὲ οἰνος ἔνιοτε καὶ κινητός*

Lib. III. de ὄρεξιστην βέλησιν, ὅτε δὲ ἔκεινη ταῦτην. Vincit autem interdum appetitus, movetque voluntatem, interdum hæc illum. Inde etiam Augustini querela legitur enata: Imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium, & animus animus est, manus autem corpus. Imperat animus

ut

Lib. I. de
anima. c. I.

Lib. III. de ὄρεξιστην βέλησιν, ὅτε δὲ ἔκεινη ταῦτην.

ut velit animus, nec alter est, nec tamen facit. Unde hoc monstrum, & quare istud? Quod sane concin-
nius ex nostris quam suo principio decidisset, ubi
ait: Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat.
Etenim non idem est quod vult & quod non pa-
ret, sed diversum; si enim unum esset, non resisteret.
Perturbatur vero ratiocinando in animo facultas,
ne bonum an malum sit, satis perspiciat, aut si per-
videt, fortior tamen est jucundi imago, aut adversi-
metus, & rapidior impetus, quam ut admittat boni
honestive plenam agnitionem: nec licet interim na-
turæ ductum non sequi, invita ratione, in as-
suetis præsertim, & in hac virtutis palæstra minus
exercitatis.

XV. Non possum mihi temperare, quin
pulcherrimum Aristotelis iterum locum huc arces-
sam, quo idem dicit: Postquam enim ostendit, vo- L. III. de-
luntatem & appetitum, ($\beta\delta\lambda\eta\sigma\iota\upsilon\text{ καὶ }\ddot{\sigma}\rho\epsilon\xi\iota\upsilon$) invicem *anima cap.*
differre, docet ulterius, aliquando appetitiones inter
se contrarias fieri, idque contingere, quod ratio &
cupiditas contrariae sint. Integer locus, ubi & cau-
sam addit, hic est: Επεὶ δὲ ἡς ὁρέξεις γίνονται ἐνάντιαι, ἀλ-
λύλαις. τότο δὲ συμβαίνει, ὅταν ὁ λόγος καὶ η ἐπιθυμία ἐνα-
τία ἔσται γίνεται δὲ ἐν τοῖς χρόνοις αἰσθητικοῖς ἔχοσιν. Οἱ μὲν γὰρ
νῦν διὰ τὸ μέλλον, πανθελήνει πελεύει, η δὲ ἐπιθυμία διὰ τὸ
ἥδη. Φαίνεται γὰρ τὸ ήδη ήδυ, κατ' ἀπλῶς ήδυ, καὶ αγαθὸν
ἀπλῶς, διὰ τὸ μῆρον μέλλον. Cujus ultima verba La-
tine ex mente interpretis sic sonant: *Mens enim ob-
futurum retrahere jubet, (hoc est abstinere) cupiditi-
tas vero præsens ipsum persequitur. Nam quod jam af-
ficit voluptate, id simpliciter afficere voluptate (non
ad tempus) & absolute bonum videtur, ex eo sane,*
quia

quia futurum non perspicitur. Ecquis concionator Christianus ex suggestu meliora pronunciaverit, aut præstantiora? sed ex moralibus contemplationibus ad affectus revertamur. Et vero quid verbis opus est? In medio sunt exempla innumera, magna, illustria, eorum qui affectibus ad desperationem acti, vel sibi ipsis manus intulere, vel morbis atrocibus arcessitis, misere peridere: quod, an volentibus acciderit, judicent æqui æstumatores. Nihil itaque cum sibi ipsi adversum sit, neque etiam in voluntate affectuum sedem quærendam esse, patere arbitror.

XVI. Verum & gravius multo quid obstat: voluntas enim, cum sit vel actio, vel saltim facultas, non substantia, perinde atque ipsa ratiocinatio, neque veræ hæ sint partes animæ nostræ, qui potest vel in hac vel in illa affectus oriri, aut in ea tanquam in subiecto, consistere? Non enim in obscurro esse arbitror, distinctionem hanc in ratiocinandi & volendi facultatem commentum esse ipsius intellectus nostri, qui cum summo se cognoscendi teneatur desiderio, id tamen obtinere non potest, in ejusmodi incidunt meditationes inanes, perperam sibi adaptans, quod operationibus suis rectius convenit: quæ quidem tanto facilius invenient fidem, cum hoc omnibus spiritibus perpetuum sit, ut effectus eorum nobis pateant, ipsa autem natura & essentia abscondatur. Non ergo hic magis felices fuisse veteres existimandum est, quam illum Cartesium, cum in cogitatione mentis essentiam constitueret, itidem operationem pro re ipsa accipiens,

ens, nobisque obtrudent. Ipsum vero etiam intellectus nomen non nisi operationem infert, illam scilicet, qua res sensibus oblatis comprehendimus animo, earumque ideas, satis aliquando ineptas & falsas, nobis fingimus: Intellectio enim dicere, qua voce actio clarius significatur, religio fuit elegantioris locutionis cultoribus.

XVI. Porro ex dictis efficitur, non minus falso, quam barbare, repudiata affectuum Animi appellatione, omnibus seculis Latinis recepta, nunc a Gallicissantibus nostris novatoribus Passiones animæ nuncupari. Etenim Passiones non esse meras, sed ex actione ac passione compositos, pati enim hominem dum affectibus agitatur; sed cum in eos ruit, illosque sequitur, agere, celeberrimus hodie suo merito *Christianus Thomasius* monuit. *Ausub.*
Tametsi enim assensus ille ad affectus non videatur pertinere, cum, ut dictum est, saepe inviti eti- *III, 9.*
am rapiamur, saepe etiam resistamus fortiter, admitti tamen de illis saltim potest, quibus vietus homo, jam plane dat manus, aut eos sequitur: quod & ipse habuisse in animo videtur, dum omnem affectum, desiderium aut cupiditatem esse, vult persuasum. Quin etiam, dum contra luctatur animus, tumultuantes spiritus inter se concurrunt,
& obnituntur adeo, actio & passio mixta est: ut cum Phædria apud Terentium deliberabat, eatne arcessitus, an aliter se comparet, nondum certus quid agat, interim amore Thaidis mire ejus ani-

mus angebatur , quæ turbæ utique non sine mu-
tuis actionibus & passionibus fiebant: non ergo
meras passiones esse affectus , ostensum est.

XVII. Sed nec animæ satis commode a nostra-
tibus adjudicari affectus , in aprico jam est, si su-
premam illam humanarum actionum directri-
cem , & immortalem spiritum intelligas: cuius
potius est, affectus moderari , quam in se pati.
Quod ipsa ratio firmat : etenim ea quæ in nobis
affectus gignunt , sub jucundi ac molesti specie
comparere, aut, si recentiorem opinionem sequi
lubeat, omnes jucundi , eoque nomine vel invi-
tos trahere, cœco impetu, quilibet opinor in semet
ipse persentiscet , adeoque nobis facile assentietur.
Quod si deliberatio accedat , quæ est rationa-
lis animæ, omnium hactenus consensu, tum vero
aliam faciem indicant, nec amplius jucundi aut
molesti, sed boni aut mali imagine aspiciuntur.
Hinc videmus plerosque quotquot scilicet præce-
ptionibus morum atque virtutum doctrina non
imbuti sunt probe , illecebris illis facile succum-
bere: sed & reliquos non semper superiores esse,
nisi in palæstra virtutis summa diligentia sint exer-
citati, nec nisi concessio deliberandi spatio, eos su-
perari atque compesci , experientia docet : quo
negato, nec ea quæ naturæ inferiori suavia videntur,
& grata, averiari, nec quæ ingrata & mala , am-
plecti possunt.

XVIII. Sed quicquid hujus sit, animam ip-
sam rationalem esse, quæ moveatur affectibus, e-
tiam

tiam antiqui Philosophi negarunt uno ore omnes: *Plato*, ut est apud Alcinoum, esse dicebat *Motus animi sine ratione natos, ex bono aliquo aut malo:* & *Joan. Damascenus*, teste *Horneo*, ejus disciplina imbuto ut arbitror, *Affectus esse motus animi irrationales asserebat. Aristotelis doctrina notissima esse debet. Is de anima dubitans eruditus, ut solet, an moveatur (cum unicam statuat non triplicem ut vulgo putatur) id quidem pernegat: & hinc affectus motus quidem esse docet, at tales, ut in iis potius ea moveat aliquid corporis quam moveatur, sit autem ipsa ἀπάθης Dicere ergo animam irasci, vel timere, simile esse ac si quis eam texere dicat & ædificare, meliusque esse dicere, non animam, sed hominem anima (hoc est animæ beneficio) misereri vel discere vel ratiocinari. Atque alibi: *Videri*, ait, omnes affectus animæ cum corpore esse, quippe cum his una ipsum corpus aliquid pati θούκε, in Græco est, τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἴωμι, με τα σωμάτως, αὐμα γὰρ τέτοις παχεῖ τὶ τὸ σῶμα: patereque, si ita sit, affectus rationes esse materiales, seu, ut elegantius Græci: δῆλον ὅτι καὶ τὰ πάθη λόγοι ἐνυλοὶ εἰσίν. Stoici, Diogene Laertio In Zenone narrante, *Affectum esse*, ajunt, aut aversam & ratione contra naturam, animi commotionem, aut impetum vehementiorem. Sic enim reddendum arbitror: πάθος ἔστι η ἄλογος παρὰ φύσιν κίνησις, η ὁρμὴ πλεόν ἀξέσθα. Non jam arcessam in testimonium totam Latino-rum sequioris ævi scholam, quorum doctores*

Aristotelicorum nomine veniunt, qui ad unum tantum non omnes, triplicem animam constituentes, affectus animi in sensitiva collocarunt: reliqui, cum Aristotele unius diversas tantum facultates esse persuasi, sentienti tamen, præ ratiocinante affectus animi inesse credidere. Vide Horneum.

XIX. Sed forte & huic animæ nobilissimo que spiritui affectus sunt, ipsi proprii. Gaudium scilicet & tristitia, atque inquietudo longe tamen alio sensu, quam prius. Hæc scilicet ex læsa conscientia & patratis facinoribus oriens, altera vero ex benefactis, & virtutum exercitationibus; quo etiam misericordiam, qua commoti, pauperibus succurrimus, & bona opera Theologica omnia referas. Hoc vero gaudium, animæ intimum, & a lætitia carnis longe diversum, non efferum est, & immodicum & inquietum, fluctus concitans in animo, ut alterum illud, sed summa tranquillitate temperatum, cui se sanctus Dei spiritus immiscet, animosque extollit in cælestis dulcedinis sensum: ut contra tristitiæ isti malus dæmon haut raro intervenit, cuius & pulvinar dicitur, nisi in pœnitentiam agat spiritus nostros ut inde firma solidaque fiducia revertantur ad Deum. Quæ sane causa est desperationis, ad quam promovendam, is saepe etiam mundanorum bonorum amissiones in reprobis urget, & sibi permisso, dicit ad perniciem. Hinc rara legitur Ethnicorum desperatio:

tio: nisi ut captivitatis aut mortis ignominiam effugerent; quod tamen iis in numero virtutum censebatur: Christianorum vero frequentiora sane exempla occurunt. Neque etiam in bruta cadit hoc vitium, quæ ad extremam indigentiam, famemque redacta in rabiem, sæpe nunquam in desperationem præcipitantur.

XX. Neque dubitaverim etiam amorem, quem celeberrimus Thomasius rationalem appellat, ad animam hanc referre, nisi in aliquid nimis caducum ferretur. Saltem hinc, vereor, ne quid se immisceat isti alterius, priorisque generis: sed quod, cum humanum sit, dum sub imperio est, & subinde premitur, non meretur reprehensionem. Sed nec desiderium ex hac classe abesse juss erim: cœlestium saltim, & unionis cum Deo: quia hoc potius animæ nostræ omnium maxime convenire ac naturæ ejus esse congruum dubitari non potest. Ceterum, ne solus animæ rationali affectus esse suos, sibique proprios, asseruisse videar, facit *Jacobus Thomasius*, a cuius ore cum Lipsiæ primitias studiorum degustarem, admodum juvenis summa cum voluptate pendere contigit, qui eandem in Tabulis Philosophiae practicæ proposuit sententiam: mihi itaque impense gratulor, tantum virum ὄμοψην habere, cuius ingenium, eruditio in omni genere sapientiæ, atque judicium supra quam dici potest, exacta atque exquisita, semper admirationi fuere, atque optandum esset magnopere, ut dissertationes, quas publice ventilandas proposuit

plurimas, justo volumine comprehensæ, denuo in publicum ederentur, ex quo plus coñodi, quam ex tot novis multorum conatibus ad rem literariam esse perventurum, ausim asseverare. Et nunc de affectuum sede, & ubi, quave vel parte animi vel genere sentiantur ac regnent, satis est dictum: tempus est, ut de causis, quibus gignantur, atque universa eorum natura eadem diligentia dicamus.

XXI. Neque quicquam mihi verendum est ab argumentis, quibus ostensum eunt vulgo, in voluntatem, alteram ratiocinantis animæ vel partem vel facultatem non cadere affectus, quando cum alteratione corporis fiunt: nullus autem motus voluntatis fiat cum mutatione corporis. Non enim hic mihi de ira, cupidine, odio, metu, aut amore illo altero sermo est, quæ omnia cum irquietis cogitationibus conjunguntur, adeoque eo nomine alterant corpus. At nostri hi summam tranquillitatem, atque oblectationem sub imperio rationis lubentissime parentem comitem habent. Quare & insequentibus, ubi de eorum in corpus potestate potissimum agetur nobis, nulla amplius eorum mentio fiet. Interim posset & nostræ sententiae subscribere videri Clarissimus Conradus Horneus, qui cum utramque facultatem, & intelligentem scilicet & sententientem virtutis capacem esse dixisset, rnox affectus omnis virtutis materiam appellat. Sed non videtur ex re nostra his amplius insistere.